



I. Abtheilung: Studien.

Des Benedictinerstiftes Einsiedeln Thätigkeit für die Reform deutscher Klöster vor dem Abte Wilhelm von Hirschau.

Von P. Odilo Ringholz O. S. B. in Maria-Einsiedeln.

(Schluss zu Heft I, Jahrgang VII, Seite 50—79.)

DE CONSVE[TV]DINE IN REGVLARIBYS MONASTERIIS OMNI TEMPORE OBSERVANDA.

[I. Prolog an einen nicht genannten Abt gerichtet. Begründung, warum »consuetudines« einzuführen seien. Entschuldigung wegen Rauheit der Sprache und Mangel an systematischer Ordnung.]

NE DIUERSIS coenobiorum corrupetur nouitatibus et unusquisque pro libitu suo uarians loci peruertere statum, ab antiquis beati benedicti regule amatoribus per temporum uices constitute sunt consuetudines de omnibus omnino rebus, quas qui bene nouerit, quod non facile inuenitur & cum humilitate exercuerit et discretionem, non solum in praesenti propriam uitans uoluntatem mente erit quietus, sed etiam in futuro eternam recipiens gloriam sine fine letabitur. His enim quid quisque opus faciat discitur et quasi quedam podia simplicem sustentant monachum, ne per regulare[m] et angustam incedens pontum pede titubet laqueumque paciatur. Sunt autem quedam que modo bene feruentibus desiderio uidentur esse superflue, sed si discusse fuerint et sibi et futuris iam frigescentibus inueniuntur prodesse. Sunt etiam non nulle a simplicibus inuente uel usurpate que corrigende sunt a prudentibus uel penitus respuende, utpote tanto

inutiles quanto recentes. Perpendiculari igitur paterne tue moderationis comitto metiri, ut omni dempta tortitudine rectitudo ad liquidum quandoque teneatur. Nec te moueat rusticitas stili et prolixitas, dum quod imperium exigit impericia denegat. Nec confusio ordinis, dum iuxta quod occurrit memorie non differo inserere. |

F. 1 b)

[II. Ueber das Läuten zum Gottesdienst.]

UT IN NOCTE NATALIS DOMINI et sante pasche cum surgendum fuerit ad nocturnos percuciantur primum omnia signa, deinde singillatim, ad ultimum omnia. In nocte quoque natiuitatis domini tam in matutinis quam singulis missis omnia pulsantur simul.

Vt omni tempore cum surgendum ad uigilias fuerit, minimum pulsetur signum, quo usque infantes conueniant ad primam oracionem, uel certe omnes fratres. Et trina peracta oratione ante tria altaria residentibusque omnibus in choro sequens percuciat signum, et interuallo facto, aliud feriat, datoque alio interuallo, aliud intonetur; subsequente alio spacio ad ultimum, si festiuitas XII. lectionum fuerit, omnia si non duo signa nondum percussa si tot habentur. Hec autem differentia inter signa operis dei mortuorum quando ad opus dei intonanda fuerit a minore incipiatur usque ad maius per ordinem et longiuscule unum post unum eodemque dimittantur ordine. Quando pro defunctis simul incipientur et producte iaculentur simulque relinquentur.

UT tempore quadragesime per septimanas ad nocturnos et uesperos, antequam dicatur: *deus in adiutorium*, unum idque et ultimum percuciat signum, uidelicet post interualla per dominicas similiter ad missam. Maiora quoque signa duo aut III dimittantur usque in pascha. Infra septimanas etiam octauarum natalis domini et pasche et pentecostes et illius sancti in cuius honore locus est dicatus, ad nocturnos duo, ad matutinos et uesperos et ad

F. 2 a)

missam omnia, || quamuis non faciant XII lectiones sed III. Hec sit autem differentia inter signa nocturnorum et uespere. Ad nocturnos III interualla, ad uesperos III.

UT diurnis horis II signa, primum percuciat quousque infantes ad oracionem ueniant vel compleant. Secundum quousque nutu prioris dimittatur, aut interrogetur antea a custode si potuerit adesse, hoc fiat tempore estatis priuatis diebus ad tertiam et sextam. Nam prior primam nunciet principali signo. Nona quoque minore denunciabitur signo ad lauandum, deinde maiore. Capitulum prior minimo signo et collacionem, sed breuiter percusso. Uespera eomodo quo nocturni uno minus signo, uel interuallo ut praedictum est. Completa eodem signo quo et capitulum et eodem

tribus uicibus percusso; post completorium, peractis orationibus ab infantibus, uocentur omnes fratres ad tres oraciones. Eodem quoque signo, si ad nocturnos indigesti surrexerint, tertio percusso, si ei placuerit requiescant, sed sonitu ligni resurgant.

VT tempore hiemis post matutinos in priuatis scilicet diebus si lux est hora prima minimo signo pulsetur. Eodem quoque secunda ad calciandum et lauandum et ad III. oraciones. Deinde principale signum ad III^{am} et postea mediocre. Post VI^{am} minimo in XLa quod dabit licenciam prespiteris missas celebrare, infantibus liniolos scribere, cellerario quoque panem ponere per tabulas uel per mensas. Pro hac eadem ratione tempore | aestatis F. 2 b) hoc signum detur inter capitulum et terciam. Diebus uero dominicis uel solemnibus post capitulum id ipsum percuciat signum ad reuestiendum et dato alio signo congregatio adsit, et a septimario presbitero cantetur missa que uocatur matutinalis, ad quam etiam omnes debent esse ministeriales. In ipsa quoque hora contentent ex presbiteris quicunque uoluerint. Tunc demum congregati, si dominica dies fuerit, processionem facient; et cum remeauerint duo praecipua signa sonent.

UT in summis festiuitatibus ad: *te deum laudamus*, omnia signa, similiter ad sequenciam in die, uel duo principalia, uel quando rex novus, uel episcopus, uel abbas constituitur; dum: *te deum laudamus* excelse cecinerint cuncta percuciantur, uel quando uadunt ad cruces, uel quando nunciatur obitus regis, ducis, episcopi, canonici illius ciuitatis, uel sanctimonialis, uel carissimi amici. Cum uero abbas uel monachus de fraterna uel coniuncta congregatione et eiusdem religionis obisse nunciatur, conueniant mox omnes in ecclesiam et dum percusserint signa, officium mortuorum deuotissime celebrent eiusque animam absoluentes domine commendent et faciant hoc per XXX dies, nomenque eius notetur in breuiario et in martirologio, ne tradatur obliuioni eius anni uersarium. Hoc quoque potest abbas facere de quibus cunque uoluerit. Dum aliquis horum infra monasterium sepelitur et cum tempestas imminet uel sedicio ciuium urget, omnia quoque feriantur signa. ||

F. 3 a)

Adtentat unus ex custodibus qui remanet in ecclesia cum mense lector finem inposuerit, ut minimum pulset signum quo congregentur ad cybum ministeriales.

[III. Ueber die zum Gottesdienst zu treffenden Vorbereitungen in der Sacristei und über das Schreiben der Breue]

Quociens fiunt duodecim lectiones, habeat edituus in sacrario aquam per noctem. Non enim debet manibus inlo:is altare cooperire, aut discooperire, aut uasa sancta contrectare, siue turibulum siue

candelabrum, aut cetera huiusmodi quando magis euangelium. Similiter illi qui se albis per noctem induunt. Omni etiam tempore in praedieta domo petram habeat non modicam in modum mortarii incisam cineribus plenam et carbonibus, ut quociens cunque expedierit, candela illis apposita ignis praeparetur ad turibula.

In summa festiuitate uero duo reuestiti inuitatorium idemque XII^m iubilent responsorium. Duo quoque presbiteri cum cappis turibula deferant per altaria ad III^a nocturnam et per fratres. Ad nocturnum tamen etiam tertium reueletur altare eximium ab eis et eius capse, quod ante debet esse linteo coopertum et sic incensum offerant. Tunc quoque a custodibus uel ab illis, qui nesciunt cantare, omnia accendantur luminaria. Populo autem ab illis duobus non offeratur incensum, sed ab aliis sine albis. Uniuscuiusque nocturne quartum responsorium post gloriam a capite repetatur et excelsius cantetur.

Breue cantorum et lectorum seu seruatorum pridie antequam in capitulo recitetur scribi debet. Verbi gratia: Si sabbato est legendum, VI^a feria ante nonam sit compositum, et mane sabbati cum a cantore lignum fuerit percussum, conuenientes
F. 3 b) in unum recordentur | officii uenture noctis, sciatque unusquisque quod debet cantare uel legere. Et hoc ipsum cum summo fiat silencio. Similiter lectiones ab armario pridie ante sint terminate uel correcte.

Breue quoque praefatum hoc ordine et his perficietur auctoribus. Quocienscunque agitur initio duobus committatur inuitatorium; si cum antiphonis est componendum, primum mittantur VI, deinde III responsoria. His quoque addantur alie VI antiphone cum III responsoriis. Subiungatur utique antiphona ad cantica cum reliquis III^{or} responsoriis. Deinde lectores. Sub his matutinorum antiphonis. Ad ultimum de die sequenti misse officium. Ideo hoc inserui, ut non permixtum, sicut a quibusdam, sed alter post alterum honeste notetur. Lectores uero intransuerso inter tertium nocturnum et matutinos graphio inter unumquodque nocturnum deducto, similiter inter responsoria et antiphona. Unicuique autem antiphone uel responsorio nomen monachi tribuatur et psalmus et uersus.

[IV. Allgemeine Bestimmungen über Lesung und Gesang des Officiums.]

Perspiciendum est interea distancia in hoc opere, inter cantorem et ebdomedarium cantus. Ebdomadarius quippe cum alio deputetur ad inuitatorium et si festiuitas infra ebdomadam aduenerit, non est necesse ut aliis iniungatur, cum ipsi illud debeant continere, nisi forte praecipua sit solempnitas et ipsi

fratres suo nequeant edificare obsequio, quod est in prioris uel cantoris arbitrio.

Hoc sit officium ebdomadarii melodie: Primam in prima nocturna et secunda et matutina inchoet antiphonam et ad cantica. Primum quoque || clarificet responsorium. In die ordinem teneat: Per horas septimane antiphonas imponat, nisi forte iussit pueris. Si III fuerint agende lectiones, in capitulo fratribus innuat, quis legat uel cantet sine scripto. Quod apud nos infantibus commissum est. F. 4 a)

Domnus abbas secundam uel tertiam tam in prima nocturna quam in secunda seu matutina possideat omni tempore antifonam, Octauum quoque responsorium et XII^{man} lectionem. A prioribus deinde incipiantur antifone per ordinem, ueniendo ad iuniores. Sed responsoria a iunioribus diriuentur ad priores, similiter lectiones. In prima nocturna III infantes locum habeant legendi et in eodem unus eorum secundus cantet. In II^a uero alter eorum primus legat, alter cantat; in his ergo locis si expedit cantent uel legat, in aliis non. Si desunt infantes, iuuenes id agant; octaua quoque lectio librorum inspectori et XII responsorium cantori omni tempore assignetur. In natali domini et pascha seu pentecosten bini cantent responsorium.

Prouisor oratorii semper habeat in laterna lignea candelam rotunde conductam diligenterque compositam, ad accendendum facilem uidelicet et ad legendam clarissimam quam offerat lectoribus. Sed domno abbati armarius ut, si peruisam non habuerit lectionem, ipso ostendente discat ubi debeat incipere; lector primus librum ad legendum ferat, secundus referat; diaconus euangelium, sed hoc ad nocturnos. Domnus abbas in celebri festiuitate, si ei placuerit, post perlectum euangelium in chorum cum cappa redeat, dictoque capitulo et hymno, turibulum | ture perfundat et exaltata ad *benedictus* antifona altaribus deferat et remeans id fratribus offerendum uel populo alio committat, deinde orationem compleat. Similiter ad uesperum. Si uero ei non ita uisum fuerit, hoc praedicti duo, qui ad nocturnum deferunt, expleant. Sed in diebus dominicis et priuatis festis septimanarius misse, custos quoque ecclesiae, quociens expedit, presbiteris offerat missalem uel candelam. Diebus festis innuente cantore, ad *benedictus* et *magnificat* domnus abbas antifonam inchoet, priuatis uero ipse cantor. F. 4 b)

Officium hoc prosequatur ordine: Primum choro praeficiatur ebdomadarius armonie. Deinde misse legatur et epistola et responsorium, *alleluja* quoque et euangelium. Postea lector mense fratrum et alius seruitorum aliusque collationis sed nouitiorum. Tunc seruitores ecclesie inserantur omni tempore ex illis, qui laici conuersi sunt, uel qui minoris utilitatis sunt in choro; ad ultimum quoquine.

Hoc omne praetaxatum breuiarium, sicut iam diximus, pridie antequam sit legendum scribi debet, sed scilicet auctoribus per antiquam consuetudinem. Ebdomadarius cantor solummodo scribat capita antifonarum et psalmorum responsoriorum quoque et uersuum; cantor nomina inchoancium et cantancium in die, etiam responsoriorum, quis uel *alleluja* canat. Armarius lectores Misse etiam epistolae, euangelium, mensis fratrum, seruitorum, nouitiorum collationes prosecutores. Tandem a cellerario coquine cultores ||

F.5 a)

asignentur. Notandum uero quod non iugiter hoc adtendi potest. Obseruandum tamen est, ut cum monachus suum nomen audit recitare, deuotissime se inclinet et corde gratias agat.

Quociens aguntur XII lectiones, in uigilia post uesperum praeparet edituus in sacrario ordinate in tabula uel in subsello uestimenta que a seruitoribus reuestienda sunt nocte, aquam, pecten, textum euangelii, missalem, turibula, candelabra, ut cum post nocturnos abbas *te deum laudamus* intonuerit, exeuntes inueniant unde sine mora procedant cum dixerint: *per singulos dies*. A custode uero constitutum sit analogium et laterna in manibus teneatur. Intrante quoque abbate uel presbitero in ecclesiam cum processione omnis chorus se inclinet, et ad *gloria tibi domine* et cum respondent *amen* et ad *te decet laus* et ad collectam. Cum uero dixerit: *per dominum nostrum* percutiantur omnia signa, et incipiat matutinos. Abbas autem uel presbiter librum ferat & deferat.

Si potest fieri numquam portent minores pueri turibulum et candelabra, sed semper sint in choro cum custodia. Maiores autem scole iam barbati uel conuersi laici, uel qui idonee minus cantant, ea ferant omni tempore, excepto priuatis diebus ad missam.

Nullus in ecclesia, in refectorio, in capitulo, uel quolibet conuentu audeat quicque legere inproise, quod ante non habuerit ab armario uel ab alio aliquo auscultatum. Similiter cantare non praesumat, | quod a cantore prius non audiatur. In conuentu tamen non est aliquid dicendum nec emendandum, nisi a priore.

F.5 b)

[V. Gottesdienst an Sonn- und Festtagen der Heiligen. Officium des Wochners an Sonntagen und während der Woche. Officium des Diacons und Subdiacons.]

DIE DOMINICA uel in sanctorum festis post capitulum mox ad reuestiandum percuciat signum, ut qui reuestiendi sunt ad matutinalem missam sint reuestiti, et cum completa fuerit ilico primum signum hore III^o tangatur. Sed die dominico non III^o sed aqua efficiatur benedicta, deinde processio. In processione uero illa nihil aliud feratur, nisi aqua benedicta, crux, missalis ante

presbiterum, et ipse sacerdos in collo suo phylacterium cum ligno domini gerat. Custos interim in die dominica qui in omnibus festiuitatibus uestimenta ecclesiastica, ante horam primam in sacrario ordinate praeparata habeat, calices, ampullas, offertoriola, unum cum aqua et quicquid illic expedit.

Officium ebdomedarii presbiteri est: die dominica, si ita abbati uisum fuerit, euangelium ante matutinos legere, incensum ferre, tam in matutinis quam in uesperis, aquam benedicere, missam publicam canere per totam ebdomadam; horas inchoare et complere, ad mensam fratribus oblationes dare et benedictiones cybi et potus, deinde gratias agere. Post completorium uero super fratres aquam benedictam spargere et per omnes illorum lectulos. In sequenti quoque ebdomada matutinalem missam cantare.

Diaconi est: euangelium pronunciare ad nocturnos et per totam septimanam ad missam publicam et in sequenti ad matutinalem, processionem ad introitum ordinare et incensum ponere, *gloria patri* nutu suo incipere a praeceptore || et *kirie eleison*. Presbiterum^{F. 6a)} quoque de sacrario manu ad altare deducere, vasa altaris uidere ut munda sint, turibulum offerre post euangelium presbitero et per III^a altaria deferre, deinde solummodo abbati et per omnia explere que ad eum pertinent.

Subdiaconus quoque adiutor sit ei, quod suum est, quod et satis notum est. In processione diaconi per omnes festiuitates duo candelabra sint et in medio turibulum, deinde textum, ad ultimum ipse. In summis uero festiuitatibus celebrante missam priore, aut III^{es} diaconi aut V aut VII procedant, cum totidem subdiaconibus et uno amplius candelabro.

DIEBVS SOLLEMPNITATUM in capitulo interrogetur abbas a cantore quod uel quale cantandum sit *Κυριελεισον*, *Gloria in excelsis*, Laudes, sequentia, *sanctus*, *agnus dei*. Neque enim horum quicquam debet incipere iuxta propriam uoluntatem.

[VI. Ueber Zurüstung der hl. Gewänder und Gefässe zum Gottesdienst. Einige Gebräuche beider hl. Messe. Zubereitung der Hostien.]

DALMATICIS tempore prandii et cene utantur diacones, uidelicet quando ad VI^{am} reficitur. Tempore ieiuniorum planetis uel casulis. Quando cappis utuntur, praeuideant qui eas gerunt ne parietibus se premant, nec transeundo per hostia [ostia] nec quando sedent sub se habeant. Sint autem ante secundum signum III^o hore a custode deferende in choro iuxta abbatem in subsellio diligenter inuolute, ut cum *benedicamus domino* dicetur, primum cantoribus, deinde aliis in ordine suo stantibus distribuit abbas.

- CALIX PRÆPARETVR in loco apto cum facitergio a custode
F. 6b) uel potius | a diacone dum *alleluia* canitur, ut finito *alleluia* accipiat eum unus ex maioribus pueris et teneat e regione altaris dum legitur euangelium; similiter custos oblationem abbatis, ut perlecto euangelio et diaconus illum inueniat tenentem calicem iuxta cornu altaris, accipiensque ab eo corporale oblatas expandat super altare. Subdiaconvs recipiat calicem, et qui tenebat calicem, ferat patenam. A custode quoque abba suam recipiat oblationem. Aquam presbitero et manutergium reuestiti porrigant, similiter diacono in secretiori missa, diaconus ferat turibulum presbitero ante sacrificium. Ad pacem cantor inter maiores et pueros uadat propter *agnus dei*, pueri cum magistris suis inter mixti. Presbiter uel diaconus praesente abbate non sedeant absque illius licentia. Ad euangelium, si placuerit, incensum ponat abbas super ignem. Quando XII lectiones faciunt, abbas tantummodo offerat ad generalem missam, uel pro eo aliquis priorum. Priuatis autem diebus si pro defunctis cantauerint, omnis, nullusque omittat sine conscientia prioris. Ad generalem uero missam II. feria sinister chorus, III^a dexter et sic uicibus sibi succedant usque ad sabbatum. Dominus etiam abbas quotiens ei uisum fuerit, id ipsum agat. Illi quoque eant ad pacem, qui oblationem obtulerunt. Communionem dominicam tempore XII lectionum, pacem, oblationem quoque tempore suo nullus pretermittere audeat absque permissu prioris. Corpus dominicum per dominicas remouetur. Oblate per XII dies que a custode presbitero quidem et diacono componi debent. Super tabulam singula eligantur grana. Mola ex alio frumento mundetur.
F. 7a) Multipliciter farina purificetur. Massa sine || fermento conficiatur, maceretur ab ipsis, sed reuestiti sint capitibus coopertis et constrictis. Dum composite fuerint et ferro parumper aduste, manibus non tangantur, nisi presbiteri uel diaconi ad altare.

[VII. Aderlässe: 1. von Anfang October bis Quadragesima; 2. von Ostern bis 13. September; 3. in der Quadragesima, aber nur in Nothfällen.]

Sanguinis minutio generaliter fiat in kalendis, nisi forte occurrerit praecipua sollempnitas, pro qua re aut anticipanda erit aut differenda in postmodum. Tempore hiemis a kalendis scilicet octobris usque XLm^a, quando ad nonam comedunt fratres, die kalendarum hore temperius pulsantur, atque post mensam tabula prioris manu percussa, congregentur omnes, etiam et ministeriales antequam reficiantur. Dicto quoque *benedicite*, interroget singulatim prior, quibus sit necessarium uenas incidere. Cumque didicerit, consignet eis uascula, que ibi praeparata debent esse ab infirmorum seruitore. Procuret tamen, ut vnus presbiter, diaconus, subdiaconus, cellerarius I, ebdomedarius coquine I uel

refectorarius, mense lector et seruitor[um?] Custos ecclesiae I remaneant, usque in III^{am} diem, vt nec diuino nec humano careant seruitio. Deinde facto signo, communiter in refectarium pergant bibituri potionem. Unde exeuntes exuant se diurnalibus calciamentis et induantur nocturnalibus; inde conueniant in domo huic ministerio congruenti, quo inueniatur grandis ignis et clare ardens, factus a praedicto seruitore. Quod si domus non potuerit eos capere, faciant hoc per turmas et uices suas. Aqua ibi sit. Ligamenta brachiorum poenes se habeant, cultellos iam habeant depositos ad lectos suos; quando mutauerint indumenta pedum, | F. 7b)
 Versum sibi imponant: *Deus in adiutorium III[ter]*, *Gloria, Kirieleison III[ter]*, *Pater noster, Adiutorium nostrum, Benedicite*. Tunc prout sunt, sibi inuicem ex caritate seruiant et perficiant ibi hoc, quod sero et mane regularibus additum est horis, scilicet uesperas de omnibus sanctis, pro defunctis etiam cum sequenti uigilia, nec non et *deus auribus nostris*. Nullus loquatur ibi praeter priorem et decanum sine licentia. Nullus pro arbitrio suo, quasi tarde faciens, nimium dimittat sanguinem, ne corde palpitet, et in opere dei sit segnior, nec possit cum aliis consuetudinem seruare. Iterum per turmas suas redeuntes in refectarium, offeratur eis a cellerario panis tantummodo et uinum, uel potius aqua, quae tunc cum suppis, ut fertur a medicis, salubris est. Cum autem signum sonuerit uespere, eant in oratorium et dum complentur III psalmi primi ipsius hore sedeant sibi. Et dum sederint, si expedierit, induant capita pilleis. Cum surrexerint, auferant. Nunquam in choro stando habeant, nec ante altaria transeundo, nec prioribus obuiando uel sibi inuicem, sed honore sibi inuicem praeueniant cum inclinatione. Similiter habeant et sedeant tempore XII psalmodiarum nocturnorum, V matutinorum, III^{am} diuinarum horarum. Hoc tamen obseruabitur a fortioribus. Qui uero invalidi erunt, a priore sollicite sunt considerandi, non solum de suo sedere, sed etiam de reficere et iacere. Nam ad horas suauiter debent cantare. Post uesperas autem uadant in refectarium et dentur unicuique III^a oua tenera cum pane et uino, dicto ante uersu et benedictione. Quod si plus eis datum fuerit, gratia est, non debitum. Post completorium mox eant in dormitorium. Infirmorum minister, siue decanus, uel circatores uigilanter praeuideant, ne incaute soporati exsanguinentur. Ad || nocturnos sedeant, sicut | F. 8a)
 supra diximus, uel matutinos seu in reliquis diuinis horis. Si autem cantatur uigilia mortuorum per noctem eant in lectulis suis et dormiant, quam diu quoque matutini impleantur defunctorum uel de omnibus sanctis, siue *deus auribus nostris*, seu totum interuallum; ad matutinos adsint et post primam orationi et psalmodie insistant. Nullus legat. Post tertiam et capitulum cimbalo percusso, generaliter adeant refectarium et teneant omnem refectationis ordinem, in signo et uersu primo et ultimo et *miserere mei deus*

evndo in ecclesiam; lector qui ad servitores debet legere eis legat. A cellerario diligenter eis amministretur et non superflue. Dum ceteri post nonam cenant, ipsi non uacent fabulis aut somno sed orationibus et psalmodiis. Quotiens eorum quis bibere uoluerit, licentiam a priore petat. Ad servitores iterum manducent. Nocte sequenti faciant ut praedictum est, et in sequenti die. Tertia nocte iam stando canant regulares psalmos. Et in die sequenti qui iam III^{tas} est, non tertius, ut quidam dicunt, abstineant usque in illam horam, qua panem et vinum solent accipere ministeriales, et nihil aliud tunc habeant nisi hoc ipsum et caseum, post nonam mox cum aliis cenaturi. Hic remissio eorum accipiat finem. Hic igitur ordo teneatur ab idibus septembris usque XLmam, in qua nullus minuat sanguinem, nisi inde grauissima monacho nascenda sit aegritudo. Si uero in praedicto tempore per incuriam obuiauerit festiuitas XII lectionum, in II^a aut III^a die hore anticipentur; sed usque post missas sustineant, cum ministerialibus accepturi tantummodo panem et vinum vel caseum, quoniam post VI^{tam} statim reficiendi sunt, cum primis a cellerario pie cybaturi.

F. 8 b) Similiter post uesperam. A PASCHA usque idus septembris | omnem ordinem praefatum teneant, sed non comedent quicquam usque post missam publicam et tunc solummodo panem et uinum vel caseum, quia mox post VI^{am} sunt refecturi. Quotiens ergo ad VI^{am} sunt refecturi, sustineant usque post tertiam et missas. Quod si ipso tempore III^a et VI^a feria, quibus regulariter ieiunandum est, eis superuenerit, ac post tertiam et capitulum comedant et sero cum ministris hiemali ordine quo supra. Denique ministeriales et infirmi, qui non potuerint adtendere kalendas, et prior hoc perpendit quod ita est, ordine quo supra faciant omnia; sed quando sine aliis aliquid sumpturi sunt ad tabulam prioris sedeant. Cymbalum non sonabitur, versum primum et vltimum in refectorio dicent et psalmum. Lectionem si possunt habere habeant, si non, vnus illorum memoriter dicat. Seruiatur eis sicut priori, propter locum quo sedent, cum duplis scutulibus quicquid cum liquore datum fuerit offeratur. Qui pro grauissima necessitate in XLma uoluerit facere, sabbato post mensam hoc agat. Nocte et in crastino consuetudinem teneat, sed oua et caseum non edat. Die lunis vna vice reficiat, sed ad nonam. Postea cum ceteris ieiunia persoluat.

[VIII. Gebräuche in der Charwoche.]

IN VIGILIA PALMARVM GENERALITER CAPITA LAVENT.
 Mane in palmis custodes praeparent diligenter quoddam portatorium in modum pheretri, in quo reponantur parue capse siue textum euangeliorum. Desuper quoque appendantur philacteria siue buxe reliquiarum; ferant autem illud latenter ante horam

primam ad aeclesiam, vel locum quo || procedere debent, et cruces F. 9 a)
 et candelabra, turibulum et aquam benedictam et textum evangelium
 et appas [sic], flores, palmas et omnia quae processioni illi con-
 veniunt. Mox uero post capitulum omnes induti albis, presbiter
 ebdomedarius cum cruce tantummodo et aqua benedicta agat
 benedictiones per omnes officinas, dum a ceteris matutinalis missa
 completur. Deinde signo pulsato congregati et ab abbate combinati
 pergant ad locum praedictum cum moderamine et disciplina
 psalmos canentes; post orationem autem cantent tertiam, post
 quam cappe a priore distribuuntur. Postea diaconus pronuntiet
 evangelium: *Cum appropinquassent*. Subsequatur ab abbate
 benedictio palmarum et florum. Qua finita, duo pueri exclament
 Antiphonam: *Pueri hebreorum*. Alia Antiphona: *Pueri hebreorum*.
 Dum uero cantatur, palme a priore distribuuntur. Deinde ipse
 prior Antiphonam: *Collegerunt*. A cantore: *Vnus autem*, cum
 reliquis antiphonis. Cum uero de illo loco exituri sunt, ordinatim
 procedant cum praecedenti aqua benedicta, crucibus, turibulis,
 candelabris, euangelio; ac prosequatur illud portatorium ab abbate
 et presbytero delatum cum summa grauitate. Exeuntes canant
 Antiphonam: *Cum adpropinquaret*; Ant.: *Cum audisset*; Ant.:
Coeperunt; Ant.: *Ante sex dies*, occurrunt Ant.: *Osanna*, secundum
 spacium itineris. Quod si priori graue fuerit illud ferre honus [onus],
 presbiteris illud committat. Cum uero peruenerint ad portam
 monasterii, stent in uestibulo religiose Ant.: *Aue rex noster*
 pertonantes. Qua finita, intrent basilicam uero foribus post se
 clausis et in analogio uersum iubilent: *Israhel*, respondente scola
 de foris: *Gloria laus* et alternantes. Quo completo aperiantur
 porte et aqua benedicta cum crucibus praecedat portatorium. In
 ipso introitu autem remaneant II candelabra, turibulum, | textum, F. 9 b)
 subdiaconus, diaconus, presbiter et inde procedant ad psalmum.
 Omnis tamen congregatio sequatur illud pheretrum et dum introierint
 incipiat prior excelsa uoce Responsorium: *Ingrediēte domino* et
 pulsatis simul signis inchoet ordiucarius introitum: *Domine ne*
longe. Illud autem quod portatur super altare ponatur usque post
 uesperas *Dominus uobiscum* dicatur ad passionem et in tertia
 feria, in III. uero et VI. non. Post passionem autem unusquisque
 suam presbitero offerat palmam. Si mensis est aprilis, post
 cibum dormiant, III. et IIII. feria radendum est et balneandum.

IN CAENA DOMINI quamvis super formas iaceant, altare
 pallio ornetur, candelabra III ante eum statuuntur. Signa omnia
 pulsantur et ad thuribulum reuestiantur. Uesperae et uigilia pro
 mortuis omittantur. Nocturni ita temperentur, ut in tenebris
 compleantur. Antequam primum fiat signum, omnia quae praeparata
 sunt accendantur luminaria, uidelicet XVIII et VII. Ad *laudate*
dominum de celis magistri inter infantes se constituent. Quibus

exeundi fratres dent spacivm, vt cum laternis ante sibi paratis ab hostio aeclesie dormitivm pergant. Cvm avtem claruerit dies, a custode signo dato, horam I. cantaturi conueniant. In qua non dicatur *deus in adiutorium* alte, sed a singvlis silenter svper scamna. Deinde more solito incipiat hymnum: *iam lucis; Deo patri et praesta pater et gloria patri* dimittantur. Hoc similiter ad III^{am} et VI^{am} et VIII^{nam} observetur. Ante tertiam qui vestiario praecet habeat calciaria tam divrnalia quam noctvrnalia ordinatim in capitulo sub strata nominibus fratrvum consignata et unctvm cum

F. 10a) sapone in singvlis buxis || et omnia uestimenta que tunc necessitatem patientibus danda sunt. Exceptis tamen calciariis in aliis rebus possibilitas loci prospiciatur. Missa pro defunctis non canatur, sed statim post tertiam capitvlum adeant, versvm tacite dicentes et sermone a priore audito, recitentur consvetvdines illorum diervm. Deinde iubente priore et nominante camerario svrgant, non simvl sed singuli, et recipientes calciaria cum vncto et sapone in bvxtis; illi qui distribuit hvmilient se manibus defixis in terra. Remeantes vero coram priore curuent genua, capite in terra subpresso; hoc in omni dato et accepto fiat. Accipientes quoque noua, uetera reddant. Post VI^{am} denique prouisor pauperum multitudinem indigentium in aliqua curte adsideat, ut veniens abbas cum quibus voluerit distribvat eis panem et unum, legumina seu farinam, sal vel cetera huiusmodi secundum possibilitatem loci. Dvm autem hoc agitur, audiant missam XII pauperes et servitor eorum atque commuicent. Postea in hospitale mensa eorum diligenter praeparata et referta, mandvcent quamdiv fratres cantent nonam et publicam missam. Ad ipsam avtem nonam omnes sint revestiti stantes in ordine, sicut privatis diebus. Qua completa habeat cvstos ante fores aeclesie accensam candelam de igne novo. Quo statim procedant omnes cum silentio et ilico redevntes praecedat eos cvstos aeclesiae habens de igne novo illvminatam candelam in similitvdinem serpentis compositam et complexam in svmmitate canne harvndinee, et dvm ab ipso illvminantur VII^{om} lampades, classentur omnia signa. Sequatur introitus: *Nos autem. Gloria patri* taceatur. *Dominus vobiscum* dicatur et *pax domini et gloria in excelsis deo* canatur

F. 10b) et diaconus dalmatica vtatur. | De corpore domini tantvm consecratur, vt tunc et in crastinvum sufficienter habeatur. *Agnus dei* taceatur. Cvm *ite missa est* dictvm fverit, primvm signvm fiat ad vespervas. Et post orationem exvti albis ministeriales et pveri sumant sibi panem et biberem. Ceteri in choro sedeant. Pdnus vero abbas cum quibus uolverit prioribus facto signo tabule pergant ad mandatvm XII pavpervm cantando tacite Psalmum: *Verba mea*, adivncto si opus est *domine ne in furore*. Cum autem peruenerint adoratis illis et pedibus lotis et manibus et oratione data post oblationem potus, dentur eis iuxta facultatem

loci uestimenta, calciaria, denarii. Consignet autem abbas quod singuli offerant eis qui cum eo sunt. Quibus iterum adoratis reuertantur in ecclesiam more solito canentes Psalmum: *Miserere mei deus* uel *de profundis*, et oratione praemissa pulsentur omnia signa, non sonatvra exinde usque in sabbato. Et incipientes Ant: *Calicem*, compleant uesperas, sicut in antiphonario continetur. De omnibus sanctis praetermittatur. Deinde signo ligni facto, procedant in refectorium dicturi silenter uersum et benedictiones; prouideat abbas ut in honore illius, cuius uice fungitur, diligenter fratribus seruiatur. Dum autem cenauerint, deputentur qui altaria denudent et lauent, tam de aqua quam et de uino. Seruientes etiam qui usque ad completorium si expedit pauimentum aecclesie abuant. Adeo autem solet esse hic dies occupatus, ut de lauatione aecclesie omniumque suorum ornamentorum in auro et argento usque in crastinum differatur. Aqua calida ad mandatum prouideatur. Quod residuum fuerit de caena sutoribus concedatur. Versum post cibum singulatim || dicant cum psalmo. F. 11a) Deinde nocturnalibus induti calciariis et diurnalibus lotis cum pedibus, refectis quoque ministris, post caritatem potus a cunctis factam abbas et decanus de foris et alii ebdomedarii aquam et uascula lintamina quoque exhibeant, et signo dato accedant ad mandatum. Praecedant autem cum duabus concis lauando pedes fratrum. Sequatur ipse praecinctvs linteo cum pelui sua, et unus qui ei aptet pedes fratrum. Cum uero singulorum lauerit pedes et terserit, ut possit osculari super et subter incuruet se. Quo peracto surgant alii et sedeant eius adiutores ac simili modo eis seruiant. Ad ultimum sedeat ipse et lauet ei pedes decanus maior. Deinde iterum surgens manibus omnibus offerat aquam. Postea signo facto et ipso iam sedente, procedat diaconus alba et stola indutus cum ministris tribus similiter reuestitis portantibus ante se textvm euangeliorum et II candelabra ac sine benedictione legat super analogium bene prouolutum facitergiis euangelium: *ante diem festum pasche* in modum lectionis. Ligno deinde percusso procedant in refectorium lecturus sequentia uerba domini, que habuit in caena, super illum ambonem aut super alium praeparatum. Abbas uero stans in medio pueris sibi deferentibus omnibus porrigat potum singulorum deosculans manus. Postquam autem infantibus ipsis eadem fecerit, lectori signo inponat finem et porrecto illis potu ad seniorvm tabulam tandem sedeat et a decano uinum offeratur et facto signo silenter singuli dicant: *adiutorium nostrum*. Exeuntes procedant ad aecclesiam completorium singillatim persoluentes. | Vt ergo hec omnia cum luce fiant, F. 11b) sollicite adtendatur. Notandum sane quod illis tribus diebus psalmi post horas diurnales in terra canendi non relinquuntur uidelicet: post I^{am}, III^{am}, VI^{am}, VIII^{am}, uesperam. Post primam quoque illis decursis sequantur: *Deus auribus nostris* XVIII psalmos.

Deinde VII penitentiales cum letania sua, ceteri dimittantur de omnibus sanctis et pro mortuis similiter. Nocturnorum uel matutinorum ordo his tribus diebus eodem modo supradicto fiat. AD HORAM PRIMAM in parascuee discalciati sint atque per totum diem horas diurnas tacite et secundum regulam cantent. Singuli psalterium deo ex integro soluant. Ad horam nonam tantummodo illi reuestiti sint qui seruituri sunt uel cantaturi. Post nonam sicut in cena domini procedant ad aeclesie introitum et redeuntes praecedat eos decanus cum candela de igne nouo illuminata. Nam oratorium sine lumine debet esse postquam ad *benedictus* extinctum fuerit usque tunc Deinde praecedat presbiter ad altare cum diacono, induti planetis fuscis, et oratione completa legatur prophetia in modum legentis. Sequatur responsorium a duobus: *Domine audiui*. Subiungatur oratio: *Deus a quo et iudas*. Addatur et altera lectio. Demum tractum: *Eripe me* a duobus. Passio sine salutatione. Super altare sub euangelio praeparati sint duo sindones sibi parumper coherentes. Vt cum dixerit diaconus: *partiti sunt vestimenta*, adsint duo diaconi cum planetis et scindant hinc inde et secum in modum furantis auferant. Passione perlecta mox sequantur orationes sollempnes. Quibus dictis uadant II reuestiti post praecipuum altare quo crux parata et prouoluta est et incipiant: *Popule meus*. || Quibus alii vero respondeant cum planetis terre incumbentes: *Agios*. Deinde omnis congregatio flexo genu: *Sanctus deus*. Dum hoc canitur, deferatur crux ante altare et dicatur uersus: *qui eduxi te*. Sequantur uero *agios*. Quibus omnibus respondeant: *sanctus deus*. Dum hoc canitur, constituatur crux in loco ubi adoranda est canaturque uersus: *quid ultra*, respondentibus duobus *agios* et adorantibus. Similiter congregatio adorans subiungat: *sanctus deus*. Deinde prosternat se abbas super tapecia ibi extensa omnesque fratres, tantummodo remaneant qui bene cantent: *Cruce fidelis; Pange lingua; Crucem tuam*, dum ceteri prostrati tres compleuerint orationes. Post tertiam uero orationem offeratur abbati uirga arundinea quae sub posita linteo et subito porrecta in altum reuelet crucem clamans uoce magna: *Ecce lignum crucis*. Cui pluribus additis uersibus dum deosculatur crux, qui residui sunt, hisdem orationibus se terre prosternant, aliis cantantibus: *Cum fabricator; Salue rex; O cruce splendorior*. Lignum quoque domini populo offeratur ad adorandum a presbitero. His finitis de sacrario procedat diaconus et subdiaconus cum corpore domini et alius cum calice habens uinum et aquam praecedentibus candelabris. Deinde a diacono expandatur corporale super altare et que apposita sunt ministrent desuper. Denique postquam presbiter dixerit: *Praeceptis salutaribus moniti et Libera nos quaesumus domine*, silenter subiungat: *pax domini*, de corpore domini mittens in calicem. Cum autem ab omnibus communicatum

fuert, cum silentio cantatis uesperis iam uicina nocte eant in refectorium, refecturi tantummodo pane calido | cum crudis herbis F. 12b) et aqua. Quod autem iuxta regulam eis dandum esset, pauperibus a cellerario et quoquinariis exhibeatur. Postea lotis pedibus calciati que restant compleantur.

VIGILIA SABBATI eodem agatur ordine quo supra. Post primam uero ornetur aeclesia tabulis, cortinis, coronis, lampadibus, candelabris, cereis. Dum autem hoc agitur, obserate sint ianue aeclesie. Cum uero absides et altaria ornanda fuerint linteaminibus, palliis, capsis et diuersis reliquiarum crucibus et philacteriis, buxis quoque et pixidibus et textis seu cum protendente fuerint meliores cortine, albis sint induti custodes. Quod etiam in summis festis eodem modo seruetur. A famulis ut adsolet nil huiusmodi contrectetur, sed si expedit dentur custodibus fratrum solatia quorum adiutorio expeditius et diligentius id perficiant. Altare maius sit coopertum linteis usque ad missas et a missis iterum usque ad uesperas et a uespera usque ad euangelium tertii nocturni. In ipso sabbato ad nonam sicut in cena domini reuestiti sint. Et facta eadem post nonam processione et illuminatione de igne nouo ab abbate, diaconus cum dalmatica procedat ad benedicendum cereum. Et facta cruce in eo et annos ab incarnatione domini, primam benedictionem compleat in modum legentis. Deinde illuminato de igne nouo, secundam decantet in modum praefationis. Qua finita ascendat abbas ad legendum, non dicturus, lecturus librum genesis, sed ita: *In principio fecit deus celum et terram.* Sequatur oratio absque || salutatione: *Deus* F. 13a) *qui mirabiliter.* Lectio II ex libro exodi: *Factum est.* Canticum: *Cantemus domino.* Oratio: *Deus cui antiqua.* Lectio III isaie prophetae: *Apprehenderunt.* Canticum: *Vinea facta.* Oratio: *Deus, qui nos ad celebrandum.* Lectio IIII: *Hec est hereditas.* Canticum: *Adtende celum.* Oratio: *Deus qui ecclesiam tuam.* Canticum: *Sicut ceruus.* Oratio: *Concede quaesumus, seu Omnipotens sempiterne deus.* Post hec in medio choro stans sine cappa cantor faciat septenas aut quinas uel trinas letanias, ut priori placuerit. His finitis pulsentur signa ad missam et clamante cantore: *accendite,* procedant ministri more festiuo; dum autem dicitur: *agnus dei,* oretur. Huic subiungatur sollempne: *kirieleison* procedente presbitero. A quo subsequatur *gloria in excelsis deo.* Deinde oratio, epistola, *alleluia,* Sequentia, Tractum, Euangelium ad quod non portetur nisi tymiama tantum. Ad pacem et communionem omnes accedant. Et dicto *ite missa est* pulsetur signum ad uesperas et oratione praemissa exuti quoque albis, signis etiam ex more datis, cantent uesperas secundum regulam sancti benedicti. Deinde de omnibus sanctis, mandatum post cenam pretermittatur.

[IX. Gebräuche an Ostern und in der Osterwoche.
Verschiedene einzelne Bestimmungen.]

CVM AD VIGILIAS PASCHE SVRGENDVM SIT, SICVT IN NATALE DOMINI primum pulsantur omnia signa. Deinde de reuestitis ad inuitatorium et ad turibula et de reuelatione altaris et illuminatione aecclesie de XII^{mo} quoque responsorio et progressionem euangelii longe supra dictum est. Psalmi in I. nocturno et secundo sub I *alleluia* intonentur, sicut et cantica. Bini et bini responsoria cantent et a cantore, si expedit altius aut micus, F.13b) a capite vnumquodque incipiatur. | Quartum uero post gloriam repetitum tractus totum cantetur. In matutinis laudibus unicuique antiphone decurse subsequatur *alleluia* eodem tenore replicatum. Sic ad *benedictus* uel per omnes diurnas horas hoc seruabitur ut antiphone cantum sequatur *alleluia*, sed hoc dumtaxat *alleluia*. Missa quoque non celebrabitur praeter publicam. Qua hora diebus festis reuestiendum sit et in dominicis processio agenda uel cappe dande et qualiter procedant solito plures descripti ministri et omnia que accuratius agenda sunt superius scripta sunt. Post missas omnia pulsantur signa, per totam ebdomadam matutini eodem modo celebrentur ut in die I, scilicet luminariibus accensis, signis omnibus pulsatis, hisdem antiphonis sed sine turribulo. Per omnes quoque diurnas horas dicat uersus: *Haec dies*. Ad matutinalem missam INTROITVS *RESVRREXI* cum omni suo officio cotidie repetatur. I.^{ma} II. III. IIII feria cuncti reuestiti sint ad missas, cum cappis sollempniter. Reliquis solummodo ministri. Cottidie tamen eant ad pacem et ad communionem. Per totam ebdomadam mense fratrum prouolute sint mantilibus. Praedictis quoque III diebus pane scaldato utatur ternisque potionibus. Primam misceant pueri, secundam diaconi, tertiam presbiteri. In quoquina fratrum nil praeparetur usque in quinta feria; hoc similiter fiat in pentecoste seu in magnis festiuitatibus de pane scilicet et bibere et mantilibus et quoquina. Ad uesperos nunquam reuestiatur. Dominica in octaua reuestiatur sine cappis. Igitur ab octauis pasche usque in kalendas F.14a) nouembris || per interualla signorum XII psalmi per uersus diuisi cantentur, sicut iam notum est, excepto in XII lectionibus. Matutini mortuorum et paruissimum interuallum inter nocturnos et regulares matutinos compleantur, nisi forte lux praeuenerit et tunc differendi erunt usque quo de omnibus sanctis perficiantur. Ad ultimum *deus auribus nostris* scilicet XVIII psalmi sicut iam notum est. Post primam VII psalmi cum letania. Missa pro defunctis uel pro pace. Letania ante missam non fiat.

[X. Bestimmungen für die Zeit von Ostern bis Pfingsten — Quinquagesima Paschae.]

IN QVINQVAGESIMA PASCHÆ RELIQVO tempore fiat praeter III^a sabbata XII ieiuniorum et dies XII lectionvm. Tempore estatis, quando ad VI^{tam} comedvnt fratres, ad tertiam revestiendi sunt servitores missarum. Quando ad nonam quarta et VI^{ta} feria post cruces secutas celebrentur missae, si ad oratorivm processum fuerit, ibi cantetur nona. Si uero intra claustrum post missas agatur ab octava pentecostes addantur unicuique hore soliti psalmi. Uigilie mortuorum diebus ieiuniorum post uesperos statim fiant, deinde fiat mandatvm pauperum dum ceteri se discvlant. His autem redeuntibus percutiatur cymbolvm ad potum. Diebus quoque prandiorum post cenam agantur. Reliqua uero ut dictum est compleantur. Hoc autem fiat ab VIII^{nis} pasche usque kalendas nouembris.

PER TOTAM quinquagesimam paschalem infra ebdomadam fiant III lectiones similiter. Sexta quoque feria et VII., si sanctorum natalitia non affuerint, de sancta cruce et sancta maria III^{is} eodem modo compleantur, excepto quod antiphone in matutinis et ymni non mutabuntur; hoc quoque de sancta cruce et sancta maria non dimittatur vsque in aduentum domini. | Ab idibus septembris F. 14b) usque in kalendas octobris sicut in estate IIII. et VI. feria ita agatur. In XII diebus praecipuorum ieiuniorum et in parasceue contenti sint pane et aqua et portio eorum de uino seu de cibo quod a fratribus in quoquina paratur pauperibus concedatur.

[XI. Bestimmungen für den Monat October etc.]

IN KALENDIS OCTOBRIS hic ordo augebitur uel mutabitur. Post *deus auribus nostris* percusso modico signo cantetur prima, deinde VII psalmi cum letaniis suis. Postea vacent lectionibus usque in horam secundam que paruo signo pulsetur. Deinde calciati et lauati cum introierint infantes oratorium, tertia principali nuntiet signo et completis tribus orationibus, alio quoque facto signo cantent tertiam, deinde solitam missam aut pro defunctis, aut pro pace. Facto quoque capitulo operentur usque ad missam. Post VI^{tam} quidem pulsetur minimum signum quod det licentiam cantandi presbiteris. Quibus finitis pulsetur maius signum ad missam et ad opus finiendvm et silentivm dandum, et facta oratione reuestitis quoque seruitoribus incipiant letanias et celebrata missa pulsetur primum signum hore none et interuallo paruo facto, dato alio signo, cantent nonam. Post cybum tabula non percutiatur, nisi in uigiliis XII lectionum. Cetera ut supra dictum est impleantur. Ebdomedarii tamen quoquine priuatis diebus non eant in quo-

quinam vsquequo ad matutinalem missam facta sit oblatio. In
F. 15a) festis uero mane exeant. Aqua calida in sabbato ab illo tempore
usque in pascha a quoquinariis exeuntibus praeparetur. Similiter
a cellerario IIII. et VI. feria post cruce, diebus dominicis uel
festis ab ipsis kalendis octobris usque missam sancti MARTINI
post mensam uacent lectionibus, dum seruitores reficiuntur.
Quibus refectis mox accedant ad nonam. Qua finita dato cym-
balo eant in refectorium et facta benedictione sumant solummodo
uinum de cuppis suis quod eis de mensa remansit. A missa uero
SANCTI MARTINI vsque in purificationem SANCTE MARIE pots
mensam statim dato principali signo cantent nonam. Similiter
etiam seruitores faciant cum refecti fuerint. Deinde a purificatione
SANCTE MARIE usque in pascha in ipsis scilicet diebus festis de
eadem re simili modo facient sicut a kalendis octobris usque in
missam sancti martini. A pascha autem usque iterum in kalendas
octobris primum aqua deinde uinum sumetur.

[XII. Bestimmungen für den Monat November etc.]

IN KALENDIS NOVEMBRIS usque in pascha VIII^{va} hora
noctis surgatur ad nocturnos. Infantes prolixiores faciant orationes.
Diebus dominicis inuitatoria maiora inchoentur sicut estatis
tempore minora; ymnus: *Primo dierum*. Priuatis uero diebus
per III^a interualla XXX canant psalmos diuisos per versus sicut
in estate XV partitos per versus quod satis notum est. III^{as}
F. 15b) lectiones continuatim agant, ex prophetis et ceteris bibliotheca
libris consuetum est. Si natalicia sanctorum superuenerint | non
aliud ob id legant. Post nocturnos uigilia agatur mortuorum
et matutini. Deinde de omnibus sanctis. Post haec *deus auribus
nostris*. Quod uero restat post uigilias a fratribus qui psalterii
uel lectionvm seu cantus aliquid indigent, meditationi inseruiatur,
sicut praecipit regula, usquequo aliquod indicium lucis appareat.
Circatores autem sollicitate praeuideant ne somnolentia aliquem
de fratribus desidiosum reddat. Deinde pulsato signo compleantur
matutini, prima, VII psalmi et letanie et fiant misse. Cetera
secundum praedictum ordinem fiant. In pisale sedeant, philtrinos
nocturnales habeant. Notandum quoque quod uigilia mortuorum
a septuagessima vsque in kl. novembris per diem agatur illa hora
qua supra dictum est; a kl. uero nouembris vsque in LXX per
noctem uidelicet post nocturnos. In diebus tamen dominicis uel
festis post caenam complebitur.

[XIII. Bestimmungen für die Weihnachtszeit.]

IN VIGILIA NATALIS DOMINI MISSA FESTIVE canatur sicut in die dominico. Media nocte surgant et sonant signa, sicut in capite sursum scriptum est. De inuitatorio et turribulis et luminariis et quomodo cantent bini et de III^o responsorio, nec non et XII^{mo} satis supra dictum est. Post euuangelivm eant ad necessaria nature; deinde lauent se et pectinent et postea omnes se induant albis. Procedente autem cantore in ecclesiam pulsentur omnia signa et festiue celebretur missa prima cum sequentia. Quibus exutis iterum sonent omnia signa ad matutinos. Quibus finitis si iam apparet lux, iterum se omnes albis induant et pul[s]satis signis celebrent secundam missam festiue cum F. 16a) processione et seruitoribus et sequentia. In die ita omnia dicant, sicut supra notatum est in pascha. Illa ebdomeda ad matutinalem missam *Puer natus est* cantent. Post natale innocentium octavam eo ordine quo praescriptum est peragant. Post octavam III^{or} dies qui sunt ante epiphaniam et octavam epiphanie uno ordine celebrent, uidelicet ad matutinos non sonent omnia signa sed antiphonas tunc pertinentes cantent psalmos solitos omnes persoluant. Hora quidem prima sicut in die dominico sonetur. Deinde VII psalmi cum letania et missa pro defunctis. Post capitulum operentur ad horam VI^{am}. Post VI^{am} mox canant missam sine letania, deinde nonam, postea eant in refectorium. Ut enim una uice comedant tunc in die propter breuitatem dierum inuentum est. Hore uero temperius nuntientur ut pro reuerentia dierum. Nonam in refectorio preueniant.

[XIV. Einzelne Bestimmungen für das Fest Purificatio B. V. M., für Septuagesima, Quinquagesima und Quadragesima den Tisch betreffend; über das Chorgebet in der Zeit nach Ostern und Pfingsten, besonders über die Vesper zu verschiedenen Zeiten; über das Rasiren.]

IN PURIFICATIONE sancte marie post matutinalem missam pergant in oratorium sancte eiusdem dei genetricis omnes in albis et ibi cantent tertiam. Qua finita cappis se induant. Deinde benedictis ab abbate cereis, inchoet cantor Antiphonam: *Ave gratia plena*. Tunc a custode distribuantur cerei. Sequatur alia antiphona: *Adorna*. Qua finiente redeant in maiorem ecclesiam et dum introierint, incipiat abba antiphonam: *Cum inducerent*. Deinde pulsentur omnia signa et sic incipiant Introitum: *Suscipimus deus*. Processio autem diaconi et presbiteri ceterorumque seruitorum ex introitu occidentalium portarum fiat, sicut | supra F. 16b)

scriptum est in palmis. Cereos post euangelium presbitero offerant. Quia nona post mensam seruitorum cantanda sit et uinum potandum non longe praedictum est. In septuagesima pinguedo ad edendum dimittatur. In quinquagesima oua et caseum, in XL^{ma} II^{da} III^{ta} et VI^{ti} feria a piscibus abstinenceatur. Et omni tempore praeter L^{ta} dies post pascha III^{ta} et VI^{ta} feria semper a piscibus abstinenceant et pinguedine, et cruces sequantur, nisi XII lectionum festiuitas interueniat uel priori aliter uisum fuerit. AB OCTAVIS pentecosten usque in aduentum domini semper in die dominico ad matutinalem missam de sancta trinitate cantetur, nisi de sanctis habuerit. Quod si in nocte dominica natalicia sanctorum talia fuerint ut totum officium fiat ex eis post matutinos Antiphona pronuntiat de euangelio. Deinde matutinalis missa de dominica cantetur. Postea publica de sanctis et per totum diem ad horas Antiphone dicantur de ipsis, potius quam *alleluia*. Vespera si proprium fuerit officium ex eis antiphone de matutinis dicantur. Si uero non, de psalmis que ad illos pertinent canant. Similiter si in ipsa nocte dominica memoria aliquorum fuerit sanctorum, de quibus in priuatis diebus III^{es} lectiones essent faciende, cantica et totus tercius nocturnus, matutini quoque et omnes diurne hore et missa publica de eorum fiat natalicio et matutinalis missa de dominica Uespera tamen de ipsa agatur dominica. Ad cantica semper ponatur antiphona si de sanctis agitur et uersus non dicantur cum *alleluia* nisi a pascha usque pentecosten. Quotiens quoque

F. 17^a) fecerint XII^{cim} lectiones de || sanctis, ad uesperos *dixit dominus* cantent et ceteros psalmos, qui de eorum ordinibus conueniunt. Siue autem fecerint XII^{cim} siue III^{es} ex eis, semper in matutinis *dominus regnauit*. Hi psalmi dicendi sunt de uno apostolo ad uesperas: Ant.: *Jurauit dominus*; Ps.: *dixit dominus*; Ant.: *Collocet*; Ps.: *Laudate pueri*; Ant.: *Disrupisti domine*; Ps.: *Credidi*; Ant.: *Confortatus*; Ps.: *Domine probasti me*. DE PLVRIMIS APOSTOLIS: Ant.: *Virgam virtutis*; Ps.: *Dixit dominus*; Ant.: *In consilio iustorum*; Ps.: *Confitebor*; Ant.: *Preciosa*; Ps.: *credidi*; Ant.: *Confortatus*; Ps.: *Domine probasti me*. DE UNO MARTYRE: Psalmus: *Dixit dominus*; Ps.: *BEATVS VIR*; Ps.: *Laudate*; Ps.: *Credidi*. DE PLVRIMIS MARTYRIBUS: Ant.: *Virgam*; Ps.: *Dixit dominus*; Ant.: *In consilio*; Ps.: *Confitebor*; Ant.: *Preciosa*; Ps.: *credidi*; Ant.: *Uenientes*; Ps.: *In conuertendo*. Isti quoque de plurimis dicantur confessoribus. DE CONFESSORE ET PONTIFICE: Ant.: *Jurauit dominus*; Ps.: *dixit dominus*; Ant.: *Potens*; Ps.: *Beatus uir*; Ant.: *Collocet*; Ps.: *Laudate*; Ant.: *Disrupisti*; Ps.: *Credidi*. DE VIRGINE: Ps.: *Dixit dominus*; Ps.: *Letatus sum*; Ps.: *Nisi dominus edificauerit*; Ps.: *Memento domini dauid*. Notandum ut in vigilia XII^{cim} Lectionum ad uesperos semper paruissimum responsorium cantetur nisi ipsius festiuitatis officium nocturnale totum fuerit proprium. In XL^{ma} si aduenerit cathedra

sancti petri, Missa sancti gregorii, SANCTI BENEDICTI, Adnuntiationis sancte mariae, super scamna non iaceant solummodo XXX psalmi remaneant ante nocturnos et illi qui post horas canuntur. Ceteri uero canantur id est illi qui prostrati dicuntur, et post matutinos de omnibus sanctis, sequantur matutini mortuorum: *Deus auribus nostris*. | Hora prima sicut in die dominica^{f. 17b)} sonetur. Qua finita sequantur iuxta consuetudinem II psalmi prostrati, deinde VII cum letania, Missa mortuorum uel pacis. Post capitulum pulsetur signum ad reuestiendum. Et sic cantent tertiam, deinde missam de sancto festiue, sonent tota signa, eant quoque ad pacem et communionem omnes. Cetera secundum consuetudinem septimanariam fiant, id est ut post nonam missa de ieiunio fiat, vigilia mortuorum non dimittatur. Si in ipsa XL^{ma} die dominica una harum sollempnitatum superuenerit sabbato erit faciendum. A prima quoque ebdomada XL^{ma} non se radent usque in ultimam. Reliquo tempore ad radendum XII dies deputentur, nisi forte aliqua expectetur festiuitas ualde proxima. Quotiens autem se raserint, in crastino omnes in albis cantent missam et cum sequentia. Qui non fuerit rasmus ad missam de ordine aliorum remoueat.

INCIPIUNT VESPERTINE LAUDES DE OMNIBUS SANCTIS:

Ant.: *In consilio*. Ps.: *Confitebor tibi*; Ant.: *Preciosa*; Ps.: *Credidi*; Ant.: *Euntes ibant*; [Ps.:] *In conuertendo*; Ant.: *Iusti confitebuntur*; Ps.: *Eripe me domine*; Lectio: *Scimus quoniam diligentibus deum*; Versus: *Mirabilis deus*; Ymnus: *Christe redemptor omnium*; Versus: *Letamini*; Ant.: *Sancti dei omnes*; Ps.: *Magnificat*; *Pater noster*; Preces: *Post partum uirgo*; *In conspectu angelorum*; *Solue iubente domino*; *Sancte paule apostole*; *In omnem terram*; *Ora pro nobis beate emmeramme*; *Sacerdos dei martine*; *Sanctissime confessor domini monachorum pater et dux benedictus*, *Intercede pro nostra omnium salute*. *Exultent iusti*; Collecta uel oratio. In matutinis uel prima || antiphona:^{f. 18a)} *Post partum uirgo*; Ps.: *Dominus regnauit*; Ant.: *Angeli eorum*; Ps.: *Jubilate*; Ant.: *Vos amici mei*; Ps.: *Deus deus*; Ant.: *Sancti spiritus*; Ps.: *Benedicite*; Ant.: *Omnium sanctorum chori*; Ps.: *Laudate*. Lectio ut supra, ymnus: *Jhesu saluator saeculi*.

[XV. Tagesordnung für die Winterszeit. Ueber das »Capitulum« und die Arbeit.]

DE CONSVETUDINE MONACHORUM. Hiemis tempore ut regula praecipit post mediam noctem pulsatur signum in dormitorio omnesque sine mora surgentes pergunt ad necessaria qui uolunt. Dehinc insonat signum in ecclesia illucque concurrunt cum grauitate et faciunt tres orationes diuidendo VII psalmos et circueundo altaria. Interim alia signa pulsantur ultimisque tandiu pulsatur quousque domnus abba intrat in chorum et tunc incipient

nocturnos. Quibus ex more finitis cantant II^o psalmos: *Domine ne in furore tuo; Exaudiat te; Chirieleison; Pater noster; Preces: Saluos fac seruos et ancillas; Mitte eis domine; Exsurge domine; Collecta: praetende; Da famulis, vsque per omnia saecula statimque pro defunctis exultabunt omnia.* Matutinam per ordinem. *Pater noster* cum precibus; *Requiem aeternam; In memoria aeterna; A porta inferi;* Ps.: *De profundis* et iterum uersum: *Requiem aeternam; Dominus uobiscum; Oremus: Deus qui inter apostolicos uel Absolue* et istam: *Inueniant quaesumus domine; Deus ueni largitor, per dominum; Dominus uobiscum; requiescant in pace. Amen.* Dehinc matutinam omnium sanctorum; precibusque finitis erigit se prespiter et dicat len[i]ter: *Dominus uobiscum,* orationem quam uult. Postea resident cuncti generaliter cantantes psalmos: *Deus auribus; Deus uenerunt; Deus ultionvm; Gloria patri;* XV graduales, post tercium psalmum: F. 18b) *Gloria;* his finitis: *Chirieleison; | Pater noster;* Ps.: *Domine refugium cum precibus: Fiat pax; Saluos fac seruos et ancillas tuas; Saluum fac populum tuum; Ab occultis nostris; Esto nobis domine turris; exsurge domine; Dominus uobiscum; Oremus: Deus a quo sancta desideria; exaudi quaesumus domine supplicum preces; Omnipotens sempiternus deus qui facis; Quaesumus omnipotens deus, per dominum nostrum ihesum christum filium tuum.*

HIS ORATIONIBUS Transactis colunt singuli libros suos sedentque ad lectiones id est vacant lectionibus, si tanta adhuc serenitas est diei, sin autem non est, orant interim et usque dum melius inlucescat et post ea sedent sic legendo usque ad horam II^{am}. Hora secunda pulsatur signum a priore, induuntque se calciamenta liuora [leuiora] quam nocturnalia sint lotisque manibus ac facie intrent oratorium orantque tribus uicibus inter altaria, sicut in nocte ut diximus fecerunt. Inter ea primum signum hore tercie auditur uenientque in chorum praestolantur aliud quo pulsato incipient III^{am}; cantata tercia psallunt II^o psalmos: *Usque quo; Miserere mei deus, miserere mei* cum precibus supradictis et exeuntes in capellam proximam celebrant priorem missam pro pace, siue pro defunctis, et ante euangelium pulsatur signum, ut si tunc aliqui desint properent ad offerendum. Post missam iterum signo facto itur ad capitulum et sedentibus cunctis prior face. . [faciat] lectori signum ut legat. Illo ex more lectionem finienti, surgunt uersumque dicunt flectentes genua ad *pater noster* itemque residentibus legitur regula uel in festis diebus omelia et post lectionem ueniamque petit si minor est aetate; factoque signo a priore surget et prior se inclinans dicat: *BENEDICITE,* illisque econtra sese inclinantibus et respondentibus: *DOMINUS,* faciat sermonem de praesenti lectione inducens alia testimonia. Ad aedificationem animarum monet illos recte et sanctae uiuere et postremo dicit: *Si aliquid sit loquendum, edicite.* Tunc unus-

quisque apud se tractat si aliquid deliquerit in loquendo, in manducando, in bibendo, in dormiendo et si culpabilem per conscientiam suam se prospexerit, prosternet, se ad terram confite-
 turque reatum; post interrogationem tamen prioris || ita dicentis: *Quid dicitis?* illiusque respondentis: *Mea culpa*, et prioris: *surgite* proclamantis. Post istam interrogationem reddet rationem accipietque uoluntarie sibi inperatam sententiam, aut ieiuniis, aut orationibus, sepe etenim praecipitur cantare VII psalmi aut III, II aut I, cuncta secundum culpe [sic!]. Post capitulum pulsantur tabulae priorque dicit: *Benedicite* et uadunt pariter ad oboedientiam et antequam incipiant operari dicunt uersum: *Deus in adiutorium* tribus uicibus adiecto *pater noster* cum uersu: *adiutorium nostrum* et primitus cantant V psalmos pro defunctis. Qui cottidie post capitulum psalluntur, id est: *uerba mea*; *Domine ne in furore tuo*; *Dilexi quoniam*; *Credidi*; *De profundis*; *Pater noster* cum precibus et oratione. Post hos uero incipiunt romanum cursum per ordinem, quo completo psalterium per totum. Si tantum spatium temporis habent aliquando si necesse est in tempore operis lauant uestimenta sua, ebdomadarii uadunt ad coquinam. Fratresque interdum generaliter intrant pistrinum pastamque propriis manibus praeparant et temperant ad faciendos panes; sed tamen propter nullam oboedientiam infra monasterium iussam non relinquunt quin ueniant ad regularem cursu[m] statim ut audierint signum, facto etiam primo signo hore VI disiungunt ab opere uersumque cantant: *Benedictus es domine deus qui*, tribus uicibus, cum *gloria*; *Pater noster*; *Adiutorium nostrum*. Exinde intrantes oratorium prouolutis genibus orant breuiter Dominicam orationem et alias preces sicut praeceptum habetur in regula. In conuentu breuietur oratio. Post orationem, sicut ad omnes cursus faciunt, benedicent se et inclinant per circuitum et sedentes exspectant aliud signum. Quo facto cantant VI duosque psalmos: *Deus misereatur*; *Domine exaudi*. Qua cantata uadunt ministri ad sacrarium et induunt se, alique fratres sedent in choro; paratis uero ministris psalluntur duo c . . . et letania breuiter recitata missaque celebratur. Post missam orant breuiter, ut praediximus, ministrique euntes in refectorium reficientur, alii resident in choro. Ministris autem pransis, pulsatur signum et cantant nonam | et II psalmos post nonam: *Qui regis*; *De* *profundis*. Tunc exeat circator et tintinabulum pulsatur ad refectorium, cunctique pariter illuc uenientes lauant manus et intrant exspectantque domnum abbatem, illi [sic!] autem intrante pulsatur signum quod pendet super mensam eius et dicunt uersum et cetera. Post refectionem sub silentio uacant lectionibus usque ad uesperum; ad primum autem sonitum uespertini signi glomerantur in chorvm. Post solitam ordinem incipient uesperas pro defunctis atque uigilias singuleque gloce pulsant. Tuncque

uespertina laus canitur, de omnibusque sanctis uespera subiungitur et exeuntibus de uespera pulsantur tabule ad mandatum ac fratres deputati per singulos dies lauant pedes pauperum et post lauationem redeunt sub silentio ad ecclesiam orantes; ast alii fratres in illo interuallo orant uel legant, prior uero competenti hora facit signum et uadunt in refectorium ad bibendum. Et quando egredientur, pulsatur signum ad collationem ibique legitur quantum hora permittit uaduntque ad completorium. Finita completa primitus pueri faciunt III orationes et postea abbas pulsat tintinabulum tresque orationes fundit simul cum fratribus et presbiter [s]pargit singulos benedicta aqua sicque reuertentur ad lectulos, II uero psalmos ante collectam completorii canunt: *Deus in adiutorium; Leuauit*. In aduentu fratrum dicuntur iste preces: *Saluos fac seruos tuos; Conuertere domine; Ecce quam bonum; Dominus uobiscum; Oremus: Deus humilium uisitor qui nos fraterna dilectione consolaris praetende societati nostre gratiam tuam ut per eos in quibus habitas tuum in nobis sentimus aduentum. Per dominum*. Pro fratribus in uia dirigendis: *Saluos fac; Mitte eis; Beati immaculati; Dominus uobiscum; Oremus: Adesto domine supplicationibus nostris et uiam*. Pro redeuntibus easdem preces quas in aduentu fratrum dicimus et collectam: *Quaesumus omnipotens deus ut his famulis tuis quos ad nos incolomes de uia redire fecisti quicquid illic humana fragilitate deliquerint tu propitiatus dimittas*. Per. Dominico die post uigilias calciant se fratres lauanteque solitasque preces faciunt et post ea uacant lectionibus usque ad primam. Ad signum autem prime hore oratorium intrantes prolixo orant proni et tunc primam cantant. Qua finita post.

Hier endigen unsere »Consuetudines.« Da mit den Worten: »Qua finita post« die Textzeile nicht geschlossen, und noch Raum für eine weitere Zeile vorhanden ist, da ferner, wie bereits erwähnt, das fehlende vierte Blatt der dritten Lage allem Anscheine nach nicht beschrieben war, schliessen wir, dass der Schreiber bei obigen Worten abbrach und unser Codex nicht mehr Text, als den hier gegebenen umfasste. Um eine kritische Vergleichung mit andern allenfalls noch aufzufindenden Handschriften derselben »Consuetudines« zu ermöglichen, haben wir den Text im engsten Anschluss an unsere Vorlage gegeben, mit Ausnahme der häufig vorkommenden e caudata, deren Typ in der Druckerei der »Studien« nicht vorhanden ist.

Möge es gelingen, noch einen oder mehrere Codices unserer »Consuetudines« aufzufinden und mit deren Hilfe unsern Text zu verbessern und zu vervollständigen.